

Ethoc Ovidianum (*lib. V. Trist. 9*) *Vilia qui quondam miseris alimenta negabat, nunc mendicato pascitur ille cibo.*

IX. Ne te pinguis ager, nec bos, nec Sponsa retardet:

Coena Dei humanis anteferenda bonis.

Quò pertinent & illa, *Uxor, villa, boves caelum clausere vocatis, Faemina, taurus, ager si me coenare vetabunt, sim claudus, nec sit faemina, taurus, ager.* Quò alludit Gregorius M. *Sic placere studeas conjugii, ne displiceas conditori.*

X. Si vis erratum carpere, carpe tuam: cui consentit
illud *Persii Sat. IV, 52.* Tecum habita & nôris quàm sit tibi curta supellex.

XI. Pisces sunt homines, mundus mare, reteq; verbum,

Captore, qui te coelica verba docent.

XII. Ne te fortè lupi fallant sub pellibus agni,

Verbum sit vitæ regula certa tuæ.

XIII. Stulte quid ante Deum meritis Pharisæe superbis?

Trita beat, damnat corda superba Deus.

XIV. Qui bene funus agit, nobile foenus agit,

XV. Cùm Dominus gratis tibi debita magna remittat,

tu quoq; conseruo, serve, remitte tuo.

Quibus subnexui illa (mihi saltem) ἀνεφαλα sive, ut aliàs loqui amant, ἀόηλα. *Vulnera Christi sunt remedium animæ meæ. Sim precor in requie propter tua vulnera quinq;.* Per *Miserere mei tollitur ira Dei, Sine tuo (Spiritus. S.) numine nihil est in hominæ. Quid juvat absolvi mundo, si damnet olympo, absolvente, hominum quid nocet ira, Deo? Ut tua pertingat penetretq; oratio caelum, corde sit ex puro, sit brevis atq; frequens. Impius ut gramen, justus ceu palma virebit, floret bis æternum, tempore at ille brevi. Pœnitentia non agitur, sed fingitur, peccatum ubi repetitur.*

Sequuntur *Apophthegmata* quædam, *Proverbia & Fabula.* Anarcharis dicere solitus fuit, *Leges esse similes araneorum telis: Vitem ferre tres botros, primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium mœroris.* Callisthenes, quum in convivio quodam Alexandri grande poculum ad ipsum deveniret, isq; urgeretur ad bibendum, bibere noluit, quia,
dice-